

M. 3 Tomo I.

18
vra nō regata ut Rerum confirmando prou
qua 1691.

Pag. I



IESVS, MARIA, IOSEPH, CVM DIVO ANTONIO A PADVA,
B. Salvatore ab Orta, & Tutelaribus.

JURIS DEMONSTRATIO.

PRO
DOCTORE IOANNE
PADRELL PRESBITERO.

CONTRA

REVERENDVM
PRIOREM, ET CONVENTUM
BEATÆ MARIAE DE MERCEDE REDEMPTIONIS
Captivorum præsentis Civitatis.

REFERENTE NOBILILI, ET INTEGERRIMO DON
Bonaventura de Tristany, Conciliario Meritisimo.

Actuario Texidor.

I



EGIA sententia lata Referente Nobili, & eruditissimo Don Josepho de Pastor & Mora, die 9. Novembris 1688. Bartholomeus Nadal, & Josephus Remanyà, vti tutores & curatores, & Joánes Padrell, vti administrator personæ, & bonorum Annæ Mariæ Barraquer, filiæ, & hæredis Jacobi Barraquer, Curritoris auris Civis Barcinonæ, fuerunt condemnati de bonis dictæ tutelæ, & administrationis, ad dandum, & solvendum inter alia

A

dictis

2

dictis Reverendo Priori, & Conventui Beatae Mariæ de Mercede, redemptionis Captivorum, ex persona Fratris Jacobi Barraquer, Religiosi ejusdem Ordinis 1000 p. monetæ Barcinonæ, ratione legati, quod dictus Jacobus Barraquer, eius pater, cum suo testamento reliquit in casu, quo aliquis ex filijs suis masculis, in Sacris Ordinibus esset constitutus, vel in aliqua Religione professus; Quæ Regia sententia in gradu supplicationis, quo ad hoc tantum caput fuit confirmata, et si quo ad alia fuerit in melius commutata Regia sententia lata die 21. Februarij 1690. Referente Nobili, & literatissimo Don Christophoro de Potau.

2 Ioannes Padrell dicto administratorio nomine, pro obtemperandis dictis Regijs sententijs, illarumque executioni, solvit dicto Priori, & Conventui dictam quantitatem 1000 p. (quam jam libenter obtulerat prestare , tempore comparitionis in causa) vna cum interesse illius decurso, à die litis motæ. Sitiens adversans majori ratione dicti interesse , in hac vteriori liquidatione, petijt illud à die mortis Jacobi Barraquer, patris dicti Fratris Jacobi , ex quo dictum legatum fuit conceptum in satisfactionem , & solutionem legitimæ , & quod de similibus legatis, ita à jure est debitum interesse. Recognoscens postea debitum, & incivilem esse prætentionem hanc, ab ea recessit, & solum petijt interesse contentiosi legati, à die ingressus in religionem dicti Fr. Jacobi. Sed adhuc in hac prætentionis diminutione seu reductione pars hæc non acquevit, ex quo autumabat nullum esse debitum interesse nisi à die litis motæ. Cæterum Regia provisione vterioris liquidationis facta per dictum Nobilem de Pastor 14. Iulij instantis anni, fuit declaratum, esse debitum interesse contentiosi legati à die 26. Maij 1685. professionis emissæ dicti Fr. Jacobi, usque ad diem 17. Martij 1687. litis motæ, ad rationem solidi pro libra, & pro illo 92 p. & 7. denar. salva vteriori liquidatione, & calculi errore.

3 Suplicarunt dicti tutores, & administrator à dicta Regia provisione contrario imperio, & hæc pars Dr. Joannis Padrell, in forma, pretenditque in ea, illam in melius cōmutandā. Et omissis his ex quibus demonstratur nullū esse debitū interesse, de quibus latè schedula data 2. Maij 1690. Solū in præsenti discursu meū arripuerunt animū, ea que concludenter ostendunt, quod esto aliquod esset debitum interesse (quod negatur) tamen istud non deberet esse, prout fuit liquidatum in dicta Regia provisione, habito respectu ad quantitatem legatam, dinumerando , & liquidando illud ad rationem solidi pro libra dictæ quantitatis legatæ ; sed habito respectu ad fructus ab hærede perceptos , in illa quota corporum hæreditariorum fructifero- rum legitimæ correspondentium ; & ad illos fructus, quos percepis- set

M. 3. Tomo 1.

set filius, si legitimam non in legato pecuniae, sed in hæreditarijs corporibus accepisset: sicque non constito, quæ sint bona fructifera hæreditatis, quos fructus illa producant, & tandem quanti sint fructus suæ legitimæ correspondentes, nulla liquidatio prætensi interesse fieri valet. In quorum evidentem demonstrationem sequentia animadvertuntur.

4 Primò, verissimum esse, ex legitima deberi fructus, vel interesse filio, à die mortis patris, l. Papinianus 8. s. Vnde si quis, ff. de inoff. test. Peregrin. de fideicom. artic. 36. num. 60. & ibi Censal. Merlin. de legit. lib. 2. tit. 1. quæst. 1. num. 3. Leotard. de usur. quæst. 18. num. 19. Font. decis. 91. num. 15. & decis. 572. num. 10. cum seqq. Canc. var. par. 1. cap. 3. num. 53. & par. 3. cap. 16. num. 79. cum seqq. Idemque procedere, ex legato facto pro legitima. Peregrin. de fideicom. art. 36. num. 69. & ibi Censal. Franchis decis. 175. per tot. & decis. 16. Fab. in Cod. lib. 6. tit. 26. dif. 1. & 12. Leotard. d. cap. 18. num. 19. Marin. allegat. 75. nnum. 17. Gratian. decis. 4. n. 35.

5 Secundò, quod etsi proximè stabilita regula, absolute vera sit, tamen magna est inter DD. controvertia, quoties legatum pro legitima, est relictum in certa, & determinata pecuniæ quantitate, quo in casu plures sunt absolute negantes dictum interesse, illudque tantum concedentes à die interpellationis; ea de ratione, quia pecunia ex se est sterilis, & infructifera, sicque minime fructus producit, sine labore, & vitio usuræ, ut videre est apud Vincentium de Franchis decis. 16. num. 3. & decis. 374. num. 2. & decis. 575. per tot. Peregrin. de fideicom. art. 36. num. 69. & alios, quos allegat Font. decis. 92. num. 16. Card. de Luca in locis infra referendis. Cæterum maioris notæ DD. sunt contrarium defendantes, dictumque interesse concedentes, sed cum hoc grano salis, scilicet, quod in hæreditate corpora fructifera sint, neutquam vero, si omnia infructifera, & sterilia sint, pro ut ita distingunt Craveta consil. 966. num. 19. cum seq. lib. 5. Riminald. Jun. consil. 31. à num. 143. ad 141. lib. 1. Peregrin. de fideicom. art. 36. num. 69. Rovit. consil. 20. num. 6. & ibi Altim. num. 2. cum seq. Franch. decis. 16. num. 3. & ibi Carolus Antonius de Luca sub num. 2. lib. 1. & in observ. ad decis. 559. in fin. lib. 2. Giurba in consuetud. Senat. Masserat. cap. 4. glos. 4. par. 1. num. 15. & in decis. 65. num. 6. Rosa consult. 29. num. 75. cum seqq. Card. de Luca lib. 6. de dote disc. 110. num. 5. cum seqq. & lib. 5. de usur. disc. 33. num. 3. & disc. 28. num. 7. & lib. 9. de legit. disc. 26. num. 11. laté Bonden. colluct. legal. collec. 21. num. 195. cum seqq.

6 Tertiò, quod præfatæ distinctionis fundamentum (vt dicunt dicti DD.) totum in eo consistit, quod iniquum erat, hæredem fructibus corporum hæreditariorum fructiferorum, in quorum quo-

⁴ta legitima erat danda, secluso legato, lucrari, pro toto tempore quo ipse quantitatem pro legitima legataam, poenes se retinebat, illamq; solvere diserebat; quare, vt huic iniquitati occurreretur, dixerunt subrogandam esse dictam pecuniam pro legitima assignatam in locum ratæ corporum hæreditariorum fructiferorum legitimè correspondentium, quæ quidem subrogatio locum sibi vindicare non potest, quoties corpora hæreditaria sterilia, & infruitifera sunt, tanquam tali casu cessante in hæredem ratione lucri, ex fructuum perceptione provenientis; ideoque isto in casu negarunt dictum interesse; non vero in illo; ex quo enim dicta pecunia est subrogata in locum corporum hæreditariorum, quemadmodum filius ex corporibus percepisset fructus, eodem modo debet percipere interesse ex pecunia loco corporum subrogata, ut ita terminanter tradunt supradicti DD. & pro cunctis Scipio Rovit. consil. 20. num. 7. ibi: Cum enim dicta pecunia sit subrogata in locum corporum, quemadmodum filius ex corporibus percepisset fructus; eodem modo debet percipere interesse ex pecunia loco corporum subrogata, quia subrogatum debet sortiri naturam eius, in cuius locum subrogatur, l. si cum, §. qui iniuriarum, ff. si quis caut. §. fuerat inst. de act. l. Parabolani, Cod. de Episc. & Cler. cum vulgat. ita in proprijs terminis huius casus consuluit Alexand. cons. 68. num. 3. vers. Accedit, & num. 4. lib. 1. Benedict. de Benedict. alias Capra omnino videndus cons. 153. per tot.

7 Quartò, quod hanc subrogationem pecuniæ pro legitima assignata, in locum ratæ corporum hæreditariorum, declararunt præfati DD. in hunc modum, præsuponendo scilicet quendam oculatum contractum emptionis, & venditionis, quasi quod heres emis- set corpora frugifera, ex quorum quota legitima solvenda veniebat, cuius oculæ emptionis pretium consistebat in quantitate pro legitima assignata; ita quod filius cui legitima erat debita, quasi venditor, heres autem quasi emptor diceretur: Cumque ipse heres tanquam emptor, retineat quotam dictorum corporum hæreditariorum legitimæ correspondentium, fructibusque illius gaudeat, retineat quoque pecuniam pro legitima assignatam, tanquam pretium prædictæ oculæ emptionis: ideo DD. supradicti observando æquitativum præceptum Diocletiani, & Maximiani, in l. curabit, Cod. de action. emp. asseverarunt, hæredem, qui tanquam emptor dictorum corporum hæreditariorum, ex quibus legitima solvenda erat, fructus percepit, retinuitque dictæ emptionis præmium, compellendum esse ad quantitatem pro legitima assignatam restituere, vna cum usuris, seu interesse, iuxta terminos, & cancellos, dictæ l. curabit, ac si verus, & proprius esset emptor, pro ut eleganter explicarunt DD. supradicti, & alij transcribendi infra n. 13. cū seq. pro nunc tamen cōtentabor transcribe-

M. 3. Tomo 1.

5

re celebrem doctrinam Card. de Luca lib. 5. de usur. disc. 28. num. 7. ibi. Sed si assis hereditarius parentis consistat in bonis fructiferis, ad quorum usuram evitandam, filio non contradicenti relinquatur legitima in quantitate, pro ista donec solvatur, debentur etiam, citra usuram accessiones, seu fructus, tanquam recompensati, cum ita occultari dicatur implicitus contractus emptionis, & venditionis, dictaque quantitas dicatur pretium ipsorum bonorum, & consequenter intrat ratio, seu æquitas dicti textus in l. curabit, ut tanquam absolutum admititur apud Ottobonum dictis decis. 38. & 81. & in specie advertitur per Leotard. quest. 18. num. 19. & seqq. Staib. de interesse lib. 2. tit. 2. quest. vnic. Rot. decis. 186. post Pacific. & sepius cum sit distinctio hodie in foro plana, & habetur sub tit. de feud. disc. 108.

8 Idem de Luca dict. lib. 5 de usur. disc. 33. sub num. 3. ibi. Secus autem si in bonis stabilibus, parens vero loco quota istorum tantam pecuniam assignat, quoniam ista dicitur pretium istorum bonorum, tanquam per actum occultum emptionis, & venditionis: ideoque intrant termini textus in dict. l. curabit.

9 Quinto quod usuræ seu interesse, quod debetur venditori ob pretium, vel partem illius non solutam ab emptore, ex æquitate dictæ l. curabit, debetur solum, pro modo, & ratione fructuum, seu prorata, & stimatione illorum, quos vendor perceperisset, ad partem pretij non soluti correspondentium, propter æqualitatem inter emp- torem, & venditorem servandam, nequitam vero, ad rationem solidi pro libra; liquidando, seu computando in hunc modum, scilicet, quod si emptor solverit duas partes pretij, & tertiam retinuerit, teneatur restituere, non interesse illius tertiae partis ad rationem solidi pro libra; sed solum tertiam partem stimationis, vel valoris fructuum perceptorum. Ita ex literali dispositione text. in d. l. curabit Cod. de action. empt. tradunt communiter scribentes ad d. text. Navarr. conf. 21. sub. tit. de usur. lib. 5. Mantica de tacit. & ambig. lib. 4. tit. 24. num. 5. Covarrub. var. resolut. lib. 3. cap. 4. in princ. num. 2. Afflict. decis. 20. num. 4. Surd. confil. 121. num. 19. & seq. Rot. decis. 132. num. 2. p. 4. recentior. Gratian. disceptat. 523. nn. 31. Joannes Petrus Actolin. resolut. 88. num. 19. cum seq. Fab. in codic. tit. de usur. definit. 8. & 13. nn. 11. & definit. 35. Tondut. Sanleger. quest. & resol. civil. cap. 21. num. 13. Leotard. de usur. quest. 27. nn. 2. & per tot. Olea. tit. 6. quest. 2. num. 13. Xammar. rer. judicat. definit. 3. num. 1. & per tot. cum Sen. decis. Sperel. decis. 118. nn. 61. 65. & 72. Staib. de interesse lib. 2. tit. 9. quest. 1. num. 91. cum seq. 101. & 126.

10 Et exprefſim declaravit noster Regius Senatus in illa Sin- dici loci de Analech Tarraconen Dioeces. ex vna, & Nobilis Eli-

M. 3. Tomo I.

6

Elisabethis Meca, &c de Cardona, die 11. Maij 1676. Referente literatissimo Josepho Aleny, ibi: Constat etiam certum esse de jure, quod quando venditor rem tradit emptori, & hic prati partem non solvit, sed rem, & prati partem habet, teneri venditori, ad pretij partem non solutam una cum interesse PRO RATA, ET ESTIMATIONE FRVCTVVM, quos venditor percepisset ad partem non solutam correspondente propter aequalitatem inter emptorem, & venditorem servandam ne emptor cum jaictura venditoris locupletetur: & ideo cum prati venditionis dictae retrodecima fuerit sexmille librae, emptor ab anno 1631. in posterum illam habuit, & fructus percepit, & factis tribus partibus aequalibus prati duas tantum solvit, scilicet quatuor mille libras, & tertiam partem, scilicet bismille libras non solvit, sequitur teneri dictos Nobiles conjuges Meca dictas bismille libras solvere cum interesse à die possessionis adepie, PRO RATA, ET STIMATIONE FRVCTVVM DICTÆ RETRODECIMÆ AD DICTAM TERTIAM PARTEM CORRESPONDENTIUM, Videlicet CVM TERTIA PARTE VALORIS FRVCTVVM PERCEPTORVM, &c. Et in conclusione d.R. sen. ibi: Una cum interesse dictarum bismille librarum, AD QUOTAM, ET PRO MODO FRVCTVVM PERCEPTORVM, ex dicta retrodecima ad illas correspondente dicti interesse liquidatione in decreto executionis, aut alia ulteriori liquidatione reservata, &c.

II In tantum proxime stabilita procedunt, quod si emptor nullos percepisset fructus (dummodo non dolo malo eos percipere desijset) nullas usuras, vel interesse restituere teneretur, & hoc maxima cum ratione, cum istæ usuræ vel interesse, non ratione moræ, sed ratione fructuum perceptionis debeantur ut constat ex ipsa contextura d. l. curabit, & vnanimiter docent. Salicet. in l. in minorum cod. in quibus caus. restitut. in integr. necf. Castrrens. in l. Julian. §. ex vendito ff. de actio.empt. Corneus conf. 59. lib. 3. & conf. 145. lib. 2. Cagnol. in d. l. curabit sub. num. 26. Covarrub. var. resol. lib. 3. cap. 4. sub. num. 3. Censal ad Peregrin. artic. 26. vers. si ergo pag. 194. Rot. coram san. mem. Greg. decis. 347. num. 4. & seq. & coram Card. Ottobon. decis. 2. num. 2. Mansius consult. 58. num. 49. Sabel. var. resolu. cap. 84. num. 24. Staibani de interesse lib. 2. tit. 9. quest. 1. nu. 91. cum seq. Sperel. decis. 118. sub. num. 71. latè Hermosilla glos. 2. l. 28. tit. 5. part. 5. pag. 558. num. 31. cum seq. ad 37. cum pluribus ibi citatis Olea tit. 6. quest. 2. num. 31. in fin. ibi: Ita ut si nulli extra culpam vel negligentiam emptoris non percipientur, non debeantur usurae, &c. Doctissime Leotard. de usur. quest. 27. num. 2. & num. 23. ibi: Sed respondeo verum quidem esse in casu d. l. curabit, usuras non venire propter moram, sed ex comuni Iurisperitorum censi illas deberi; etiam si nulla mora in solvendo pratio facta sit per emporem, dummodo rei usum ha-

M. 3. Tomo I.

habuerit, & perceperit fructus. Etenim in hoc genere, tantum inspiciatur an emptor habuerit facultatem percipiendi fructus, &c. Et ibi: Non ergo in specie d. l. usura debentur quia venditor dominium retinuerit ut male Azor. putat, sed ex eo quod venditor fructus percepisset ut dictum est, &c. Et dixit Reg. Sen. in prememorata causa et si non expresso motivo.

12 His prædictis animadversionibus. quæ tanquam ex veridicis iutis elementis ortæ, nullam quamvis minimam admittere valent obnubilationem, evidens, & concludens eformari valet demonstratio. Interesse quod debetur ratione legati certæ, & determinatæ quantitatis pro legitima facti commensuratur, & liquidatur juxta terminos, & cancellos legis curabit Cod. de action. empti. vt plenissime probatum relinquo supra n. 7. & seq. sed interesse quod debetur juxta terminos, & cancellos d. l. curabit debetur, & liquidatur non ad rationē solidi pro libra quantitatis debitæ; sed ad modū, & rationē fructuum perceptorum, vel ad ratam, & aestimationē illorum ad partē prætij non soluti correspondentiū, vt etiam stabilitum remanet sup. n. 9. & seq. Igitur interesse quod debetur ratione legati certæ quantitatis pro legitima facti, non est computandū, nec liquidandū ad rationem solidi pro libra illius quantitatis legatae, sed ad modum, & rationem fructuum ab hærede preceptorum, & ad ratam, & estimationem illorum ad quotam corporum fructiferorum legitime correspondentium.

13 Quid plura? Sed audi nunc communem Doctorum scholam terminanter hanc consequentiā confirmantē, & inter alios sunt Alexan. conf. 69. n. 2. volu. 1. Rip. in l. fideicommiss. n. 145. ff. ad trebell. Cavalc. de usufruct. sub. nu. 31. Osalch. decis. 143. nu. 3. Serafin. decis. 1406: num. 7. Giurba. in consuetud. Senat. Messanen. cap. 4. glof. 4. part. 1. num. 16. Angel. conf. 101. num. 1. Cephal conf. 56. num. 49. & seq. Tiraquel. de revocand. donat. verb. revertatur num. 270. Bertrand. conf. 301. num. 3. lib. 2. & conf. 201. num. 3. & conf. 322. num. 3. part. 1. lib. 3. Petra de fideicommiss. quest. 15. num. 32. Joannes Baptista Lupus in coment. ad l. curabit cod. de act. empt. coment. 1. §. 7. num. 163. Corneus conf. 265. nu. 1. lib. 1.

14 Scipio Rovit. consil. 20. num. 6. in fin. ibi: Et hoc casu puto sine dubio quod debebitur etiam interesse huius legitima à die mortis testatoris VSQVE TAMEN AD CONCVRRENTM QUANTITATEM FRVCTIVVM PERCEPTORVM EX ILLA RATA CORPORVM HÆREDITARIORVM, cuius loco venit danda pecunia iuxta terminos legis curabit Cod. de act. empt. cum enim dicta pecunia sit subrogata in locum corporum, quemadmodum filius ex corporibus percepisset fructus, eodem modo debet percipere interesse ex pecunia

cunia loco corporum subrogata, quia subrogatum debet sortiri naturam eius in cuius locum subrogatur l. si eum s. qui injuriarum ff. si quis ca-
tion s. fuerat inst. de action l. Parabolani Cod. de episc. & cler. cum
vulgat. ita in proprijs terminis huius casus consuluit Alexander.

15 Idem Rovit. consil. 21. sub. num. 2. ibi: Nam in casu illius de-
cisionis agebatur de legitima consistente in pecunia, non quia in heredi-
tate non remansissent corpora producentia fructus, sed quia fuit subroga-
ta pecunia in locum corporum per legatum factum ducatorum 2000 ff.
pro legitima s. quo casu in alijs allegationibus afirmavi, quod debebitur
interesse CORRESPPECTIVM AD FRVCTVS, qui perciperentur ex
rebus, & corporibus hereditarijs, & propterea in dicta decisione fuit di-
ctum deberi fructus à die mortis, illudque fuit liquidatum HABITO
RESPECTV AD FRVCTVS, qui percipi potuissent ex bonis heredita-
rijs ut testatur idem Preses in finalibus verbis predictis decisionis, quod
si pecunia non fuisset subrogata loco corporum producentium fructus
(utique quia pecunia non producit fructus) non fuisset locus condemna-
tioni ad interesse, & sic in tantum ibi S. C. habuit pro vero quod de-
beretur interesse à die mortis, in quantum interesse esset CORRESPPECTI-
VVM AD FRVCTVS, qui percipi potuissent ex rebus hereditatarijs:
Ergo si in hereditate non remansissent res producentes fructus, cum qui-
bus fructibus potuisset commensurari interesse, sequitur, quod nō potuisset
sequi condemnatio ad interesse.

16 Andreol. controvert. 315. num. 4. ibi: Quae conclusio procedit
etiam si legitima fuerit à patre relictā in pecunia existentibus tamen in
hereditate bonis fructiferis, nam cum tunc illa pecunia relictā pro legi-
tima, sit subrogata loco corporum hereditariorum fructiferorum, tunc
fructus debentur habita ratione ad ipsa corpora hereditaria fru-
ctifera, & filius cui fuit relictā legitima in pecunia, debet habere fru-
ctus, quos perceperisset si legitimam habuisset in prædijs Alexander cons. 69.
circa fin. lib. 1.

17 Vincentius de Franchis decis. 16. sub num. 13 ibi: Et sic per
Sacrum Consilium referente Domino Cesare Vitello Regio Consiliario,
fuit liquidatum interesse, HABITO RESPECTV AD FRVCTVS, qui
potuissent percipi ex bonis hereditarijs die 28. Iunij 1574. Scanapeco
Actuario. Hijsdem verbis vtitur Carol. Anton. de Luca. in obser-
vat. ad. d. decis. 16. nu. 2. vers. occurritur.

18 Iosephus de Rosa consult. 29. sub. num. 79. ibi: Hoc enim casu,
quia pecunia datur loco corporum, qui fructus pariunt, utique debentur
fructus ad illam rationem, quam ex corporibus ipsis, filius esset habiturus,
& ita Alexand. intelligunt Gratian. d. cap. 688. num. II. & seq. qui
alios citat. Thomæ. d. decis. 87. num. II. Giarba glos. 4. par. I. nu. 16.
& alij sup. citati, &c.

M. 3. Tomo L.

9

19 Stephanus Gratian. discep. forens. cap. 688. n. 11. ibi: Neque obstat, quod etiam ex legitima consistente in pecunia debeantur fructus. Alexander conf. 69. n. 3. lib. 1. quia loquitur, quando quantitas fuit subrogata loco bonorum debitorum pro legitima, si enim filius acceptavit quantitatem pecuniae pro sua legitima, quam non tenebatur recipere, iuxta l. scimus Cod. de inoff. test. non sibi praejudicat quo ad fructus, nam acceptando talem quantitatem, videtur consentire, quod haeres prorata dicte quantitatis retineat bona hereditaria equivalentia, ex quibus si dictus haeres fructus percepit, dicitur re ipsa esse in mora, quo ad hoc, ut ipsi filio teneatur AD VSVRAS & QVIVALENTES AD PRÆFATOS FRVC-TVS, prout ita declarat idem Alex. conf. 69. n. 3. ante fin. vers. Accedit, & n. 4. vers. Addens ad eorum confirmationem lib. 1. Et ita etiam allegando. Alexand. intelligitur Peregrin. de fideicom. artic. 36. num. 69. versi. Vbi sic voluit, & versi. Et sic in legitima in quantitate fol. 336. vbi etiam adducit Franch. decis. 16. num. 11. usque ad 14. vbi etiam loquitur de legato quantitatis facto pro legitima, in qua erat filia instituta loco corporum hereditariorum ipsi debitorum, pro ut etiam latius declarat Capra conf. 6. num. 8. & conf. 153. per tot, vbi quod non mirum si fructus veniunt hoc casu, quia talis quantitas fuit subrogata loco stabilium, que fructum reddebant, quasi tunc resultet quidam contractus permutacionis, seu venditionis & emptionis, cum filia, quæ acceptavit legatum quantitatis loco bonorum, unde debet habere fructus in recompensacionem dannorum, exemplo vendoris iuxta l. curabit, Cod. de act. emp. & ita etiam bene declarat Ruin. &c.

20 Joannes Baptista Stayban. de interesse lib. 2. tit. 2. quest. unic. num. 17. ibi: Et in hoc casu indubitanter affirmo, deberi filio interesse dictæ legitime in pecunia consistentis, à die mortis patris absque alia interpellatione, VS QVE TAMEN AD CONCVRRENTEM QVANTITATEM FRVCTVVM PERCEPTORVM, EX ILLA RATA CORPORVM HÆREDITARIORVM cuius loco fuit assignata pecunias iuxta terminos, l. curabit, Cod. de act. empt. ea ratione, quia cum ipsa pecunia sit subrogata in locum corporum hereditariorum, quemadmodum filius ex dictis corporibus fructus percepisset, eodem modo debet obtinere interesse ex dicta pecunia loco corporum subrogata, cum subrogatum debeat sequi naturam eius in cuius locum subrogatur l. si eum, §. iniuriarum, &c.

21 Cardinal. de Luca lib. 9. de legitima discurs. 26. num. 11. ibi: Si enim assis hereditarius consistit in bonis fructiferis, tunc ab instanti mortis parentis, etiam absque interpellatione, vel mora decurrent fructus ipso iure, utpote sequela domini, non autem ratione mora; Secus autem se consistit in pecunia, vel in mobilibus, alijsque bonis in fructiferis, vel eo

consistente in utraque specie DEBENTVR FRVCTVS SOLVM PROPORTIONABITITER, ET PRO RATA, ut distinguendo habetur apud Ottobon. decis. 12. 38. & 81. decis. 248. part. I. recentior. in Avenionen. pecun. 10. Decembris 1656. & 5. Aprilis 1657. coram Verospio. & in alijs frequenter. &c.

22 Cardinal. de Luca lib. I. de feudis disc. 108. num. 43. ibi: Et quidem probabilius visum est, quoniam equivocum videtur in hoc procedere cum terminis legitima, pro qua currunt fructus ipso iure, absque mora, cum id proveniat ratione dominij fructuum productivi; eo quia legitima dicitur quota bonorum, respectu tamen bonorum fructiferorum, ATQUE AD ILLORVM RATAM, iuxta terminos, & proportionem textus, in l. curabit, Cod. de action. empt. &c.

23 Idem de legitima disc. 26. num. 13. in fine, versi. Verum, ibi: Verum id non tollebat difficultatem circa cursum fructuum, qui isto casu debentur, quoniam ut bene advertit Leotardus de usur. d. quæst. 18. numer. 21. & advertitur in dict. sua materia sub tit. de usur. ac etiam substit. de dote occasione agendi de fructibus dotis constituta, vel constituenda, isto casu lex occultat quemdam implicitum contractum emptionis, & venditionis, ideoque illa pecunia in qua legitima praestanda est, dicitur pretium bonorum fructiferorum, in quibus de stricto iure, legitima debita esset, ET CONSEQUENTER QUOAD MENSVRAM, SEVRATAM FRVCTIVM EORUNDREM BONORVM DEBITI SINT FRVCTVS RECOMPENSATIVI, iuxta terminos textus in l. curabit cod. de act. empt.

24 Idem de Luca de usur. lib. 5. disc. 33. num. 3. ibi: Dicebam conclusionem prædictam de fructibus ipso iure absque mora debitis pro legitima, procedere in earata, qua tanquam quota bonorum debetur ex bonis, & iuribus fructiferis, quasi quod ille cui legitima debetur, obtineat fructus illius ratae bonorum iure dominij quam lex ei refert. Vnde propterea quoties consistit in pecunia de sui natura sterili, & infructifera, dicta ratio non intrat, cum fictio non possit excedere veritatem, neque accessiones possint esse maiores, quam essent illi fructus, qui iure dominij ex ipsis bonis perciperentur ad instar fructuum recompensativorum, ex l. curabit. ut in specie usurarum, seu fructuum legitime in pecunia habetur apud Otto. decis. 38. & 81. num. 5. & seq. in Avenionen. pecuniaria. 10. Decem. 1646. & 5. Aprilis 1647. Verosp. quarū secunda est decis. 39. p. 10. recent. Malevitana bonorum 10. Maij 1652. Meltio. decis. 248. num. 11. part. II. recent. & in alijs. Quoties tamen ipsa bona hereditaria ex quibus ea detrahenda est, in pecunia, alijsque rebus de sui natura infructiferis consistunt, secus autem si in bonis stabilibus, parens vero loco quotæ istorum, tantam pecuniam assignat, quoniam ista dicitur pretium isto-

M. 3. Tomo 1.

II

istorum bonorum; tanquam per actum occultum emptionis & venditionis,
ideoque intrant termini textus in d.l. curabit ex cuius aequitate deben-
tur fructus recompensativi, AD LIMITES EORVM QVI EX DI-
CTIS BONIS PERCIPIVNTVR, ex deductis per Leotard. &c.

25 Idem de Luca libr. 6. de dote decis. 110. num. 5. ibi: Neque
quod legitime fructus debeantur ipso jure statim sequuto obitu parentis,
absque alia interpellatione ex mora irregulari Franch. & addentes
decis. 12. & 13. Surd. decis. 15. Merlin. de legit. lib. 2. titu. 1. quest.
1. num. II. & seq. Burat. decis. 165. quia id procedit in ea legitime
quota, & portione quae juris ministerio debetur ex omnibus bonis hære-
ditarijs quatenus sint fructifera, ET PRO EA RATA FRUCTIVVM
quos ipsa bona producunt, quia tales fructus non sunt internuria, ne-
que usuræ consèquendæ jure creditoris, sed sunt illi fructus quos jure
dominij filius ex ea bonorum rata percepisset, si statim sibi tradita essent;
secus autem ubi hæreditas consistit in pecunia, vel alijs bonis, & effecti-
bus infructiferis ut per Ottobon. decis. 88. num. 5. & seq.

26 Et ibid. num. 6. vers. Sed si summa relicta
adequaret, tunc intrat regula illa de prestadiis fructibus AD NORMAM
ET PROPORTIONEM BONORVM ut supra, & ad illam rationem
quam ipsorum bonorum fructus important, quamvis pater, vel avus loco
portionis bonorum pecuniam pro legitima reliquerit, quia tunc pecunia est
premium bonorum; ideoque ex ratione textus in l. curabit fructus recom-
pensativi debentur ut in puncto, &c.

27 Rota Rom. eoram Othobon. decis. 81. in qua, & in decis.
12. & 38. Responderunt Domini liquidandum esse interesse legiti-
mæ habito respectu ad fructus perceptos ex corporibus hæredita-
rijs pro legitima debitis, & illi correspondentibus, & non vltra, &
num. 8. & 9. a. decis. 81. sic prorrumpit ibi: Doctores vero allegati
ab informantibus pro DD. del Nero plures loquuntur, quando hæreditas
consistit in bonis fructiferis, vel quando fuit legata in pecunia, quo casu
fructus debentur, pro quantitate perceptorum ex bonis hæreditarijs, & in
similibus terminis bonorum fructiferorum, aut quantitatis subrogata loco
corundem bonorum loquuntur Alexand. &c.

28 Tam juridica consequentia etiam nostri Sacri Senatus
asio tuetur, pro vt dixit, & declaravit in illa Nobilis Don Melchior-
ris de Villalpando, & de Latraz, contra Nobiles conjuges Don
Ludovicum, & Eleonorem de Sabater & Agullana, die 17.
Martij 1671. referente nostri temporis Papiniano Don Michaële
de Calderò, Actuario Paulo Riembau ibi: His igitur, & alijs me-
ritis processus attensis, & alias sua Excellentia conclusionem in Re-
gia Audientia factam inseguendo, sententiat, pronuntiat, & declarat

condemnandum fore, & esse, pro ut cum presenti condemnat dictum Nobilem Melchiorem de Villapando, uti heredem dicti aggregij comitis de Atares pro tempore tamen quo dictus aggregius Comes fuit usufructarius dictae Nobilis Eleonoris de Agullana, per ipsius mortem, ad solendum dictae Nobili Eleonori, & ludovico de Sabater interesse legati decem mille librarum, in moneta currenti relictæ per dictam Nobilem Eleonoram de Agullana, dictæ Nobili Eleonore filie sua, PRO EQLIVALENTI VALORE FRVCTVM LEGITIMÆ paterna, & materna debita dictæ Nobili Eleonori de Sabater, INTRA TAMEN LEGITIMÆ VIRES, dictæ legitime interesse, valoris fructuum, temporis à quo, & aliorum forsan liquidandorum, liquidatione reservata in decreto executionis, seu alia ulteriori liquidatione, &c.

29 Nedū authoritatibus, & rationibus supradictis, fulsitur præfata consequentia, verum etiam hoc alio juridico fundamento: Nam certa juris regula est, quod debitum legitimæ aicit omnia corpora hereditaria tam infructifera, quam fructifera, & de omnibus corporibus tam infructiferis, quam fructiferis pro rata debetur, exemplo quartæ falcidiæ, quæ non ex illo vel alio legato detrahitur, sed ex singulis legatis pro rata defalcatur l. cum queritur Cod. de inoficiis test. l. libertis qui solvendoff. de bon. libertor. Bartol. in l. in quartam colum. vlt. ad l. falcid. Petegrin. de fideicomis. art. 36. num. 24. cum seqq. & conf. 95. num. 2. volum. 2. Aretin. conf. 155. num. 10. Paul. de Cast. conf. 204. colum. 1. lib. 1. Ruin confil. 59. num. 1. volum. 4. Mennoch. de arbitrar. casu. 163. num. 17. & 18. Gratian. discep. 688. num. 25. Cyriac. contr. 2. num. 80. & controvers. 6. nu. II. Hodierna controver. Forens. cap. 21. num. 16. Cardinal. de Luca lib. 9. de legitima disc. 26. num. 13. Igitur quia ratione partis legitimæ, quæ debetur in bonis infructiferis, & cui dicta bona infructifera correspondent nullum deberi, nec liquidari potest interesse, cum ex bonis infructiferis nullum interesse debeatur, vt stabilitum remanet sup. nu. 5. Et terminanter dixit Rot. part. II. rescent. decis. 248. num. II. ibi: Fructus autem respectu illius partis legitimæ, quæ consistit in pecunia, vt minimè debeantur, articulo mature discofiravit Rota in Romana legitima del nero 4. Iulij 1646. coram eminentissimo Cardinal. Ottobono.

30 Huius fundamenti vis corroboratur, ex eo quod communis DD. schola docet: quod quando in hereditate non sunt corpora fructifera, nullum debetur interesse quantitatis pro legitima legatæ, ea de ratione, quia pecunia, & corpora infructifera non pariunt interesse sine detestabili vitio usuræ, vt supra firmavi num. 5. Sed id quod dicitur de toto quoad totum, dicitur de parte quoad partem l.

que

M. 3. Tomo L.

13

que de tota, ff. de rei vindic. Olea. tit. 5. q. 4. n. 5. cum vulgat: Igitur quia pro illa parte legitimæ, quæ debetur, & detrahenda est ex bonis in fructiferis, illisque correspondet, nullum potest esse debitum interesse. Tum quia dictum interesse in mera æquitate fundatur, illiusque ratione debitum est, ut stabilivi n. 6. & alijs sed nulla equitas vigeret, bene vero iniquitas, hæredē solvere debere fructus de re, quæ non producit, nec ipse percepit, premaxime cū tota hujus interesse prestatio ex fructuum productione, & perceptione dependeat, & proveniat: Igitur quia solum potest esse debitum interesse ad modum, & rationem fructuum ab hærede perceptorum, & ad ratam, & æstimationem illorum ad quotam corporum fructiferorum legitimæ correspondentium.

31 His sic absolutis evidenter inseruntur, in casu contentioso nullam posse fieri condemnationem, seu pretensi interesse liquidationem, in favorem Reverendæ aduersantis, cum neutquam constet (ut justificare tenebatur Reverenda Adversans) quæ sint corpora hæreditatis fructifera, quanti fructus ex illis nascantur, & quanti sint illi quotæ legitimæ correspondentes, quibus non constititis nec probatis, nulla liquidatio, aut condemnatio sequi potest, prout in terminis interesse debiti ex dispositione dict. l. curabit (quod est idem ac illud de quo in præsenti disceptatur, ad tradita supra nu. 5. & alijs) firmarunt Sperellus decis. 118. nu. 78. ibi: Id facili negotio probare poterat Orientia, ad quam onus liquidandi fructus spectabat, ut in puncto firmavit Rota, &c.

32 Rot. Rom. coram Coccin. decis. 1401. num. 1. ibi: Post resolutionem factam 25. Octobris superioris anni, quod fructus recompensati erant debiti, iuxta quantitatem quot annis perceptam. Dubitavi solum D. Didaco informante, an, & ad quam summam sint liquidandi fructus, & Domini resolverunt, ad nullam summam esse liquidandos, quia nihil fuit probatum pro parte æquitis petentis dd. fructus, ad quem spectat onus liquidandi, ut in eadem decis. dicitur. Et infra num. 6. ibi: Ex quibus cum onus liquidandi spectet ad petentem fructus recompensativos, ex deductis in d. decis. facta 25. Octobris preteriti, merito fuit resolutum fructus ad nullam summam esse liquidandos.

33 Marcus Antonius Sabellus Var. resolut. cap. 84. num. 30. ibi: Tamen, quando non fuerunt taxati, neque conventi indigent legitima liquidatione fienda citata parte, cum possit peti tantum ad fructus perceptos, & non ultra, adeo ut non facta tali liquidatione nulla potest sequi condemnatio Gratian.

34 Gratian. discept. forens. cap. 716. num. 1. & 2. ibi: Liquidatio requiritur, ad hoc ut debeantur fructus recompensativi ratione damnorum,

14

norum, & interesse, quia in materia l. curabit Cod. de act. empt. usuræ possunt solum peti habito respectu ad fructus perceptos, & non ultra juxta comunem opinionem de qua testatur Socin, &c. Quod stante non potest se qui aliqua condemnatio quo ad dictas usuræ, nisi prius facta tali liquidatione Bald. &c.

35 Et in ipsissimis nostris terminis legati facti pro legitima (preter quam, quod omnes DD. de materia tractantes, id tanquam verissimum suponunt, ut videre est apud Auctores supra transcriptos, nec ullum in contrarium recognovi, et si plures revolverim) firmiter tenet Cardinal de Luca lib. 6. de dote disc. 101. num. 6. ibi: Ceterum, in hoc puncto decisio pendere videtur ex facto, in quo inspicienda est qualitas bonorum hereditariorum, ex quibus huic nepti legitima debita erat, an scilicet essent de sui natura fructifera, vel potius in toto, seu in parte consistenter in pecunijs, & mobilibus, alijsque bonis infructiferis cum ad istam proportionem, & naturam fructus legitima regulentur.

36 Et tanquam iuridicum suposuit noster Sacer Regiusq; Senatus in decisionibus relatis supra nu. 10. & 28. in quibus nulla fuit facta liquidatio, & condemnatio ad interesse, imo illius liquidatio fuit in decreto executionis reservata, quod minimè factum fuisset, si fructum probatione, & liquidatione non indigeret, cum ad interesse liquidationem, ad rationem solidi pro libra nihil probandum superesset, & superflua essent verba dictarum Regiarum sententiarum quatenus in illis dicitur, solvendum esse dictum interesse, ad quantum, & pro modo fructum perceptorum, seu pro equivalenti valore fructum legitimæ, intra tamen vires illius.

37 Rursus quia ex quo legitima asicit omnia corpora hereditaria (ut in jure est constans, & firmavi supra num. 29.) est constituta habito respectu ad omnia bona hereditaria, tam fructifera, ut immobilia, census, ac alia jura hujusc generis; quam ad bona non fructifera, ut mobilia, merces, pecunias, & similia, &c per consequens volenti consequi fructus illius, incumbit onus probandi, & liquidandi quantitatem legitimæ, usque ad quam ex bonis fructiferis est conflata; in tantum quod volens percipere fructus, seu interesse totius pecuniæ quantitatis pro legitima legata, quod est idem ac dicere, volens percipere fructus totius legitimæ, tenetur probare dictam quantitatem pro legitima assignatam, seu legitimam, in totum consistere, seu constitutam fuisse in solis bonis, & juribus fructiferis, & habito respectu ad illa sola dumtaxat, cū quo ad jura infructifera nullum consequi valeat interesse ex stabilitis n. 5. & 29. Pro ut omnia terminanter cum decisione sui Senatus tradit Vincentius Bonden. coluct. legal. tom. 2. collect. 21. num. 197. ibi: Illud autem in predicta causa

25

M. 3 Tomo I

15

cänsa fuit controversum, spectaret nec ne ad viduam, seu eius hæredes ad consequitionem dictorum fructuum agentes onus probandi, & liquidandi quantitatem legitimæ, usque ad quam, seu conflatam ex bonis fructiferis idem fructus debiti erant.

ET AFFIRMATIVE PER SENATVM PVIT RESOLVTVM,
Quoniam cum legitima constituatur, habito respectu ad omnia bona hæreditaria, tam fructifera, ut immobilia, census, ac alia iura huicse generis;
quam ad bona non fructifera, ut mobilia, merces, gemmas, pecunias, & similia, utpote utrinque corpora hæreditaria, omnem defuncti substantiam proreferentia; ad l. cum queritur, Cod. de inof. testam. iuncto §. 1. authent. de jure jurand. à morient. præst. plene Giurb. ad Consuet. Messan. cap. 4. glos. 3. part. 1. Merlin. de legitima lib. 2. tit. 1. quest. 1. ubi concord. censendum est, dotem constitutam (maxime sorori per fratres ut nunc) succendentem loco legitimæ, fuisse commensuratam ad omnia illa bona, tam fructifera, quam in fructifera; & per consequentias, volens percipere fructus, ratione totius dotis, ita succendentis loco legitimæ, quod est idem ac dicere VOLENS PERCIPERE FRUCTVS TOTIVS LEGITIMÆ, DEBET PROBARE, DOTEM, SEV LEGITIMAM IN TOTVM CONSISTERE, SEV CONSTITUTAM FVISSE IN SOLIS BONIS, ET IVRIBVS HÆREDITARIIS FRUCTIFERIS, ET HABITO RESPECTV ADILLA SOLA DVMTAXAT, veluti præcipuum sua intentionis fundamentum, utique à quocunque probandum, l. actor, &c. Et in nn. seqq. usque ad finem omnino videndus.

38 Et maiori de ratione procedit supra stabilita doctrina, cum ex serie inventarij de quo in processu, constet expressimè bona nostri testatoris, nedum consistere in rebus fructiferis, bene vero in infructiferis.

39 Ex quibus omnibus luculenter appetit, quod esto aliquod esset debitum interesse contentiosi legati (quod suppositive tantum dicitur) illud dinumerandum, & liquidandum esset, non ad rationem solidi pro libra dictæ quantitatis legatae; sed habito respectu ad fructus ab hærede perceptos, in illa quota corporum hæreditariorum fructiferorum legitimæ correspondentium, & pro rata, & aestimatione illorum; & consequenter cum in nostro casu non constet quæ sint bona hæreditatis fructifera, quos fructus illa producant, quātū sint fructus legitimæ correspondentes, & tandem, usque ad quam quantitatem ex bonis fructiferis sit conflata, nulla liquidatio prætensi interesse fieri valet.

40 Quin obstat motivum Regiae provisionis à qua consistens in eo, quod debetur interesse quantitatis legatae pro legitima à die puri-

M. 3. Tomo 1.

16

purificatæ conditionis, quoties testatoris hæreditas non omnino in bonis fructiferis consistit: Quia non nego in prefato casu interesse deberis sed quod constanter aservo est dictum interesse (si forsitan in nostro casu deberetur, quod suppositivè tantum dicitur, & non alias) non esse liquidandum ad rationem solidi pro libra, ut fuit liquidatum, sed pro modo, & ratione fructuum ab hærede perceptorum, in illa quota corporum hæreditariorum fructiferorum legitimæ correspondentium.

Quare, &c. Salvo, &c.

SALVATOR GRAELL.

Huius confirmatio Proviso a qua ut m-
tatu in opinione.